

bus, decerneretur; quodque infuetum, ac prope inauditum videtur, ante Cubatis legationem responsum decretum fuerit, cunctis alacre Venetorum in bellum adversus Turcas studium, generosos ad præteritas infidæ gentis vindicandas injurias, atque ad Rempublicam christianam provehendam, impetus, ad fidera usque extollentibus. Cum pauci contra, quot, quantasque difficultates, ac pericula subitura Respublica esset, præteritarum rerum successibus edocti, jam tum animo prospicerent.

Selymi legatione dimissa, de suscepto bello, de Senatus responso Principes certiores facti, ad auxilia exhibenda, fœdusque ineundum sollicitantur. A Pio summo Pontifice, præter ea, quæ ex redditibus ecclesiasticis centum aureorum milia concefferat, nova subsidia petuntur; quamprimum expedire triremes rogatur. Maximilianus ad arma in Pannoniam convertenda, Sarmatam, ac Moscum in societatem alliciendo, legatum, quem Byzantium cum Pannonico vestigali miserat, revocandum, omni studio incitatur. *Quo enim magis reliquos Principes a fœdere deterri, Turcis acriores spiritus addi posse, quam si in tanta totius Europæ commotione a Christianorum Imperatore cum pensione, ac donis supplicem mitti ad Selymum legatum cernerent?* Sed plerumque accidit, ut humanis consiliis, in quibus mens alternis cogitationibus defatigata, diu multumque capiendis insudavit, impares votis exitus respondeant. Nam post susceptum cum præpotente hoste bellum, quo inflammari, atque adversus Turcas acrius incendi Principes debuissent, post cunctorum laudibus concelebratam Veneti Senatus magnanimitatem, atque constantiam, tepor quidam obrepere, atque fervor ille animorum residere visus est. In Pontifice nihil promptum, nihil expeditum, omnia differre, pleraque abnuere; atque, recrudescentibus cum Cæsare ob Cosmi Florentiæ Ducis titulos diffidiis, neque pecunias concedere, neque suæ ditionis milites, ac comineatus asportari sinere, neque triremes instruere. In Cæsare cuncta hæitationis, atque ambiguitatis plena: ex aliorum sententiis pendere; sensa animi tegere; responsa obscuris verbis involvere; studium, operamque, qua adversus communem hostem, uti debuerat, ad suimet vindicandam auctoritatem, quam a Pon-

Veneti Cæsarem
et alios Prin-
cipes in
Turcas co-
citant.